



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Iacobi Lobbetii Leodiensis E Societate Iesv. Specvlvm  
Ecclesiasticorvm, Ac Religiosorvm.**

**Lobbet de Lanthin, Jacques**

**Leodii, 1640**

§. 5. De Hymno, Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus Luc. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47105](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47105)

364 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
illæ copiæ, quæ iam ciuium ceruicibus incumbere,  
quæ mœnibus insidere videbantur, in fugam  
actæ sunt: diceres aduerso hoste premi, à tergo vr-  
geri, & immensa telorum nube peti, atque opprimi.  
Nimirum pro hoste, pro telo fuere duæ vocolæ  
*Kyrie eleison*, quæ omnes barbarorum conatus irri-  
tos fecere, omnem impetum fregere.

Theo-  
phil. l. 16.

Nec adeo mirum, cum & ipsa elementa domer  
eadem vis orationis. Iustiniani tempore repentino  
terræ motu euerfa fuit Antiochia, qui à ruinis reli-  
qui fuere ciues, nudis pedibus precabundi processe-  
re, acclamantes illud in miserijs vulgatum, ac so-  
lemne, *Kyrie eleison*. Vix ea vox in cœlo euaserat,  
cum diuino oraculo moniti sunt, vt domorum re-  
lictarum superliminaribus inscriberent *Christus no-  
biscum, state*. Legerunt superi vindices has miseri-  
cordiæ notas, hos amoris typos, hanc tesseram pacati  
Numinis, & in miseros mortales sæuire desierunt.

S. 5.

De hymno: *gloria in altissimis Deo, & in terra  
pax hominibus*. Luc. 2.

**S**Acer ille Ecclesiæ hymnus in duas omnino  
partes abiit. Vna è cœlo petita authores habuit  
Angelos, cœlestes illas intelligentias, beatos spiri-  
tus, qui nascenti Christo augustum illud accinue-  
runt acroama. *Gloria in altissimis Deo, & in terra  
pax hominibus*.

Altera pars è terris ducta hominum opus fuit. Quorum autem, sua inter antiquos super care lis est, ac contentio.

Sunt qui authorem faciant Symmachum. Ascri- Microl. c. 46.  
bunt alij S. Hilario Pictaviensi Episcopo. Alcuin. l. de celeb. Mis.

Authorem alij volunt fuisse Telesphorum. Innoc. l. 2. c. 20.

Alij ab Ecclesiasticis Doctoribus compositum, ne vni cuiquam ea laus tribuatur in re ancipiti, & dubia: ita censuit Toletanum Concilium. Vt vt sit, ex illa sententiarum pugna, scriptorumque inter 111. se dissensione satis liquet, eam in occulto esse. Hoc tamen in aperto est: in Liturgia D. Iacobi tantum exprimi eam partem, quæ ab Angelis composita, & expressa; cui aliam addidit Ecclesia, vt tota iret in Dei laudes: quidni enim tota? *Cum laudatis Deum,* In ps. 148. inquit Augustinus, *toti laudate, cantet vox, cantet vita, cantent facta, Deum toti laudate.*

Ne omnes illius hymni partes sequar, paululum harebo in ea. *Et in terra pax hominibus;* pax, inquam, cum seipsis, pax cum Deo, ter optimo, ter maximo. Illa ducitur à conscientia, cui est benè, cum à pravis affectionibus sua quies conceditur.

Conscientiam Hebræi dixerunt, *Leb*, id est, *cor*, quod magna sit cordis, & conscientia cognatio, atque affinitas. Est cor vt caloris, ita & affectionum prope omnium officina; hinc ab illo micationes arteriarum, venarumque pulsus, index benè, aut

366 SPECVLVM ECCLESIASTICORVM,  
malè affecti corporis. Sic à conscientia ceu passio-  
num omnium indice ; panduntur omnes animi  
motus, ijque alij, atque alij. Si enim ea pacata sit, &  
tranquilla, ab ea spes enascitur, gaudium, & lætitia:  
sin autem à scelere turbida, & euerfa ; tum infœlici  
animæ insultat timor, pudor obruit, enecat ingens  
mœroris, ac tristitiæ vis, & acre domi bellum est:  
qui illud oderit, ac pacem amarit, necessum est, vt  
ille conscientia suæ consulat, eamque à noxa libe-  
ram seruet: tum ei à cœlo pax, quia vt ait Ambro-  
sius: *Vbi Domini gratia, ibi debet esse pax Domini.*  
Et hæc in præsentia sufficiat attigisse: cætera eius-  
dem hymni verba omitto, quia pro se satis illa lo-  
quuntur, & seipsa explicant.

§. 6.

*De solempni illa salutatione: Dominus  
vobiscum.*

**S**acerdos ad populum versus, cum sacris ipse ver-  
bis salutat, precaturque quam optimè: *Dominus  
vobiscum.* Est ea salutio è Scriptura petita, & à vi-  
ris sanctis, beatisque spiritibus vsurpata.

*Judic. 6.* Ita quondam Angelus Gedeonem virorum for-  
tissimum legitur salutasse. *Dominus tecum virorum  
fortissime.*

*Ruth. 2.* Ita Booz messoribus adulta iam die, & imminen-  
te altius solis æstu benè precatus: *Dominus vobiscum.*

Ita